



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 2. Utrùm prædestinatio certa sit & immutabilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

tione agitur. Dicitur 4. Certe, quia Deus ad salutem æternam non prædestinavit omnes homines, cum multi ad eam non perveniant; sed aliquos tantum, eosque non confusè, sed distinctè, hunc scilicet, & illum, & istum, &c. in particulari. Dicitur 5. A massa perditionis, quia, ut probatum est, prædestinatio hominum facta est ratione posterius ad absolutam peccati originalis prævisionem, & consequenter ratione posterius, quam universum genus humanum per peccatum originale factum est massa quædam damnata & perdita. Dicitur 6. Misericorditer separari, quia Deus non nisi post absolutam prævisionem peccati originalis prædestinando homines, quos prædestinavit, nullum bonum meritum in illis reperit, propter quod illos prædestinare posset; sed solum meritum malum, propter quod illos iustè damnavit, si vellet: quare si illos per suam prædestinationem à massa perditionis separavit, misericorditer hoc fecit, donans illis indebitam gratiam, cum posset reddere debitam poenam. Sed de hoc fusiùs infra, ubi de gratuitate prædestinationis. Dicitur 7. Per media infallibilia, propter summam prædestinationis certitudinem, de qua modò. Dicitur denique 8. Diriguntur & perducuntur, &c. in hoc enim prædestinationis executio consistit, ut, qui misericorditer selecti sunt ex massa perditionis per gratuitam dispositionem & præparationem mediorum efficacium, & cum salute connexorum, pro illis factam, media illa in tempore accipiant, & per illa ad salutis æternæ portum feliciter appellantur.

ARTICULUS II.

Utrum prædestinatio certa sit & immutabilis.

RESPONSIO I.

Predestinatio certa est certitudine summa. Prob. 1. ex Script. Nam Joan. c. 10. dicit Christus: *Oves mee vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me; & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Quæ verba aperte significant summam certitudinem. Neque enim Christus idem tot verbis, & tam expressè inculcat, nisi ad significandam certitudinem summam rationis, qua in salutem æternam diriguntur prædestinati, quos oves suas nominat. Huc etiam collimat illud Apostoli Rom. c. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Nam si prædestinatis omnia cooperantur in bonum, tentationes, adversitates, persecutiones, & alia mala quæque etiam gravissima: quid posset eorum in vitam æternam transmissionem incertam reddere? 2. Ex S. Augustino, qui lib. de bono perlev. c. 14. describit prædestinationem *præscientiam & præparationem beneficiorum, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Et lib. de corr. & grat. c. 7. de prædestinatis sic loquitur: *Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* Unde sic argumentor. Tanta certitudine certum est, neminem prædestinatorum esse periturum, quanta certum est Deum nunquam esse fallendum, aut humano vitio vincendum. Atqui hoc certum est certitudine summa. Ergo & illud. Hinc S. Doctor eod. lib. c. 12. de certitudine, qua in præsentis statu prædestinati in fide, qua per dilectionem operatur, usque in finem perseverant, & perseverando salutem assequuntur, hæc habet: *Subvenitur est infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideo, quamvis infirma, non tamen desiceret, neque adversitate aliqua vinceretur... infirmis servavit, ut ipso donante, invictissimè, quod bonum est, vellent, nec hoc deserere, invictissimè nollent.* Supposito enim quod Deus decreverit subvenire voluntati prædestinatorum, agendo & movendo illam, quomodo scit illi congruere, ut, quamvis propter concu-

piscenciæ aegritudinem infirma, non tamen deficiat, nec cedat adversitatibus, sed id, quod bonum est, velit, & usque in finem velit: tam nequit hæc voluntas adversitate aliqua vinci, ab amore boni deterreri, aut rectam iustitiæ semitam finaliter deserere, quam Deus falli, aut humano vitio vinci nequit. 3. Denique ratione, quia prædestinatio divina tanta certitudine & infallibilitate effectum suum consequitur, & ita tanta certitudine & infallibilitate prædestinatum in vitam æternam dirigit, & quasi transmittit, quanta certitudine & infallibilitate media prædestinato præparata & disposita in mente divina, connexa sunt cum ascensione vitæ æternæ. Atqui connexa sunt certitudine & infallibilitate summa: cum ut talia summa certitudine & infallibilitate præparentur in æternitate, & illorum in tempore executio sit summè inimpedibilis. Ergo, &c.

Obj. 1. Apocal. c. 3. dicitur: Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Ergo corona, quæ est effectus prædestinationis, potest acquiri & perdi, & consequenter prædestinatio non est certa.

Ad hanc obj. sic respondet S. Thomas hic q. 23. a. 6. ad 1. *Corona dicitur esse alicujus dupliciter. Uno modo ex prædestinatione divina, & sic nullus coronam suam amittit. Alio modo ex merito gratiæ. Quod enim meremur, quodammodo nostrum est; & sic suam coronam aliquis amittere potest per peccatum mortale sequens. Alius autem illam coronam amissam accipit, in quantum loco ejus subrogatur. Non enim permittit Deus aliquos cadere, quin alios erigat. Potest igitur corona gloriæ esse alicui destinata dupliciter. 1. Ex prædestinatione divina. 2. Propter præsentem iustitiam, qua homo constituitur amicus & filius adoptivus Dei, & consequenter hæres vitæ æternæ. Corona gloriæ sub primo respectu amitti non potest; sub secundo potest. Scriptura igitur iustum quemque merito adhortatur ad vigilantiam, & ad perseverantiam in statu gratiæ, faciendo bonum, & malum vitando, ne per peccatum mortale iustitiam amittens, amittat jus ad coronam gloriæ, quod habet, quia iustus est. Præterea, cum Deus sincerè velit omnes homines salvos fieri, ut suo loco probabitur, & ita omnibus hominibus media ad assequendam gloriæ coronam idonea conferat, & hoc præsertim erga illos, qui iustificati sunt, præter; Scriptura indiscriminatim iustos omnes ad perseverantiam adhortatur, ne coronam sibi destinatam amittant, quanquam qui ex iustis illis prædestinati sunt, coronam hanc in perpetuum amittere non possint; quia adhortationes ejusmodi utiles sunt prædestinatis, quibus in salutem æternam transmittendis cum cæteris mediis, quæ adhibet Deus, interserviunt, & non prædestinatis utiles essent, si vellent, illisque, nisi mala eorum voluntas obstarer, ad salutis portum feliciter perducendis cum cæteris mediis, quæ vel accipiunt, vel sua culpa non accipiunt, sufficerent.*

Obj. 2. Homo prædestinatus potest mori in statu peccati mortalis. Ergo prædestinatus potest damnari. Ergo, &c.

Ad hanc obj. sic respondet S. Thomas art. cit. ad 2. *Licet sit possibile eum, qui est prædestinatus, mori in peccato mortali secundum se consideratum, tamen hoc est impossibile, posito, prout scilicet ponitur, eum esse prædestinatum. Unde non sequitur, quod prædestinatio falli possit. Itaque homo prædestinatus, si consideretur præcisè ut homo, potest mori in peccato mortali: at non potest, si consideretur ut homo prædestinatus. Nam homo prædestinatus, est homo quem Deus absolute & efficaciter vult mori in statu gratiæ; vel, si vis, est homo, cui Deus absolute & efficaciter præparavit tempus, quo moriturus est in statu gratiæ. At hoc supposito, homo ille non magis potest mori in statu peccati, quam Deus potest falli, aut ulla re vinci. Quod tamen est absolute impossibile. Ergo, &c.*

Dices. Homo prædestinatus potest peccare mortaliter, & statim antequam conteratur, & cum Deo redeat in gratiam, venire in potestatem inimici, ab eoque interfici. Ergo homo prædestinatus potest mori in statu peccati. R. 1. hominem prædestinatum in casu pro-

proposito, ab inimico interfici posse potentia quidem ad actum reducibili, sed simul summa certitudine & infallibilitate non reducenda. R. 2. posse interfici, si præcisè spectentur causæ secundæ; quia, ut supponitur, ex parte causarum secundarum, nihil est per quod inimicus impotens sit ad illum occidendum, aut ad non occidendum necessitetur: at non posse interfici, si spectetur causa prima prædestinans illum, proindeque absolute & efficaciter nolens illum mori in propositis circumstantiis. Quod decretum frustrari, absolute repugnat. Hæc autem inter se conciliantur facile, dicendo inimicum in casu proposito liberam & completam habere potestatem interficiendi hominem illum, sed cum summa necessitate extrinseca nolendi & liberè nolendi illum interficere: quia liberam illam & completam potestatem, quam inimicus habet interficiendi hominem illum in casu proposito, ad actum reduci, absolute repugnat, non quidem ab intrinseco; alioqui simul esset & non esset libera & completa potestas; sed ab extrinseco, nempe propter infrustrabile decretum causæ primæ, in cuius arbitrio tempus mortis nostræ positum est, quæ pro supremo suo jure unicuique nostrum vitæ terminos constituit, qui sicut præteriri non possunt, ita nec possunt præoccupari; & homini, de quo agitur, quia supponitur prædestinatus, absolute & efficaciter præparavit aliud mortis tempus, ante quod proinde illum interfici & mori, tam repugnat, quam repugnat Deum falli, aut ulla re vinci.

Obj. 3. Si prædestinatio est summè certa & infallibilis, prædestinatio necessitatem imponit. R. n. seq. cum S. Thoma hic q. 23. a. 6. in O. ubi ait: *Prædestinatio certissime & infallibiliter consequitur suum effectum, nec tamen imponit necessitatem, ut scilicet effectus ejus ex necessitate proveniat.* Ratio ejus est, quia prædestinatio est pars providentiæ, quæ non eisdem omnibus effectibus causas præparavit, sed aliis necessarias, ut ex necessitate fierent, aliis verò contingentes & liberas, ut non fierent ex necessitate, sed contingenter & liberè; & tamen ordo illius, etiam quantum ad effectus quibus causas contingentes & liberas præparavit, est summè certus & infallibilis, utpotè ex præscientia summè certa & infallibili præparatus, & dispositus. Sic igitur, inquit S. Doctor, & ordo prædestinationis est certus, & tamen libertas arbitrii non tollitur, ex qua contingenter provenit prædestinationis effectus. Manet igitur in prædestinato libertas arbitrii, & quidem ad utrumlibet expedita, cum summa certitudine & infallibilitate prædestinationis; & sic Deus ita in prædestinatione sua cum summa certitudine & infallibilitate præordinavit media salutis prædestinati, ut prædestinatus contingenter & liberè mediis illis ad bonum faciendum & malum vitandum utatur, & ita contingenter & liberè operetur salutem suam: quia scilicet Deus in prædestinatione sua cum summa certitudine & infallibilitate prædestinato ad bonum faciendum & malum vitandum præparavit media, non irreputabilia, & voluntatis ad unum determinativa, sed ex se repudiabilia, & cum opposito ex se compossibilia, quæ inimpedibiliter executurus est, & quibus prædestinati voluntas absque antecedenti & intrinseca ad unum determinatione usura est ad bonum faciendum, & malum vitandum.

Obj. 4. Si prædestinatio est certa & infallibilis, salus prædestinati est etiam certa & infallibilis. R. dist. seq. Salus prædestinati est certa & infallibilis certitudine & infallibilitate extrinseca, & in illam resultante ex Deo prædestinante, C. seq. Certitudine & infallibilitate intrinseca, à mediis, quibus prædestinatus in finem vitæ æternæ dirigitur, petita, N. seq. Nam sic adhuc dist. Salus prædestinati est certa & infallibilis ex parte Dei præparantis & præordinantis media, quibus prædestinatus in tempore efficaciter dirigendus est & transmittendus in finem vitæ æternæ, C. seq. Ex parte liberi arbitrii prædestinati, & mediorum, quibus ad assequendum finem vitæ æternæ adjuvatur, N. seq. Cum enim liberum hominis prædestinati arbitrium sit defectibile, quantum est ex se, & media, quibus adjuvatur, sint ex se defectibilia, vel repudiabilia; homo prædestina-

tus, quantum est ex parte sua, non nisi contingenter & defectibiliter operatur salutem suam; & ita, quantum est ex parte sua, non nisi contingenter & defectibiliter salvatur.

Dices. Salus prædestinati est necessariò connexa cum ejus finali perseverantia. Sed finalis ejus perseverantia est certa & infallibilis etiam certitudine & infallibilitate intrinseca, supposita certitudine & infallibilitate prædestinationis. Ergo, &c. N. min. Est enim solum certa & infallibilis per denominationem extrinsecam, petitam à prædestinatione divina, certa & infallibilis.

Prob. tamen min. Supposita prædestinatione divina, finalis perseverantia hominis prædestinati est necessaria. Ergo, &c. R. dist. ant. Finalis perseverantia hominis prædestinati est necessaria ex parte Dei absolute & efficaciter volentis illam, & ex tali affectu præparantis tempus & alias circumstantias mortis, C. ant. Ex parte causarum secundarum & proximarum, quibus Deus in æternitate decrevit uti, & in tempore utitur ad exequendam finem hanc perseverantiam, N. ant. Nam hæc causæ sunt ex se contingentes & defectibiles. Unde finalis perseverantia hominis prædestinati ita necessaria est ex parte Dei prædestinantis, & bonam mortem gratuito præparantis sub directione præscientiæ, habentis summam certitudinem & infallibilitatem, ut sit contingens & defectibilis ex parte causarum secundarum & proximarum, & ita nullam habeat, nec habere possit certitudinem & infallibilitatem præter certitudinem & infallibilitatem divinæ prædestinationis. Porro finalis perseverantia hominis prædestinati est necessaria ex parte Dei, propter immutabilitatem & infrustrabilitatem absoluti & efficaciis decreti, quo Deus vult hominem, quem prædestinat, mori in statu gratiæ; & ob eandem rationem hæc perseverantia est contra necessariò contingens & defectibilis ex parte causarum secundarum & proximarum, quia scilicet Deus absolute & efficaciter vult per causas proximas contingentes & defectibiles, homini, quem prædestinat, mortem in statu gratiæ procurare.

Dices. Prædestinatio, ut hæcenus sumitur, præter voluntatem educendi hominem ex hac vita tali tempore, dicit saltem præparationem horum specie & numero auxiliorum, quibuscum homo summa certitudine & infallibilitate præcitur bonum operaturus esse, si illa accipiat. Atqui ex hypothesi talis præparationis, homo non poterit non operari bonum. Ergo necessariò illud operabitur, & consequenter salus prædestinati nequidem ex parte ipsius prædestinati est contingens & defectibilis. R. neg. conseq. Nam impotentia non operandi bonum ex hypothesi dictæ præparationis, est tantum impotentia consequens, in eo posita quod non possimus idem simul velle & non velle, idem simul agere & non agere; vel si vis, in eo quod aliquid nolle, aut non agere non possumus, quia illud volumus aut agimus. Talis autem impotentia non excludit libertatis exercitium, sed illud connotat & supponit. Quod autem impotentia resultans ex hypothesi dictæ præparationis sit hujusmodi, facile ostenditur. Itaque homo non poterit non operari bonum ex hypothesi talis præparationis, quia supponendo talem præparationem, supponitur verum esse, & quod homo bonum operare- tur, si talia auxilia acciperet, & quod talia auxilia re ipsa accepturus sit; atque ita supponitur simpliciter verum esse, quod homo bonum operaturus sit. Supposito autem quod homo sit bonum operaturus, non potest non esse bonum operaturus, sicut supposito quod velit & operetur bonum, non potest non velle & operari bonum. Quæ impotentia dicitur & est consequens, quia supponit pro eo statu, pro quo est, aliquod libertatis exercitium, huic statui correspondens, hoc est, vel futuribile, vel futurum, vel præsens, vel præteritum: unde pro nullo statu libertatis inimica est, quia cum illa pro omni statu manet potentia antecedens, vel potius quia cum illa pro omni statu simpliciter manet potentia volendi, & non volendi, agendi, & non agendi. Hinc R. 2. & fortè melius, neg. assumptum, & dico quod homo, etiam ex hypothesi dictæ præparationis, poterit operari vel non operari bonum pro arbitrio.

At

At inquit: Ut hoc possit homo, debet posse non operari bonum in sensu composito prædestinationis. Atqui homo prædestinatus non potest non operari bonum in sensu composito prædestinationis: nam si non operaretur bonum in sensu composito prædestinationis, Deus falleretur, & vinceretur: quod est impossibile. Ergo, &c. R. neg. maj. Nam sufficit ut homo possit non operari bonum in sensu diviso prædestinationis, & hic sensus divisus sit in ejus potestate. At homo prædestinatus potest non operari bonum in sensu diviso prædestinationis; quod non habet difficultatem; & hic sensus divisus est in ejus potestate: potest enim indirectè impedire prædestinationem suam, seu ne fuerit à Deo prædestinatus, non quidem simpliciter, hoc est, ne fuerit prædestinatus per ulla media; non enim potest impedire, ne Deus in potestate sua habeat media, etiam ex se repudiabilia, quibus illum in salutem dirigere possit efficaciter, si velit; sed, quod sufficit, secundum quid, hoc est, ne fuerit à Deo prædestinatus per hæc specie & numero media, quia potest illa repudiare, & repudiando facere, ne fuerint à Deo prævisa ut connexa cum ejus salute, & ita indirectè facere, ne poterint ut talia ipsi preparari, proindeque, quod idem est, ne ipse poterit per illa ad vitam æternam prædestinari. Potentia autem illa in homine prædestinato ponendi sensum divisum suæ prædestinationis modo explicato, sic est ad actum verè reducibilis; ut simul summa certitudine & infallibilitate nunquam sit reducenda propter summam ipsius prædestinationis certitudinem & infallibilitatem.

RESPONSIO II.

Prædestinatio divina est absolute immutabilis.

Prob. Nam prædestinatio includit, tanquam sui partem, propositum, hoc est, actum quo Deus absolute & efficaciter vult per hæc specie & numero media hominem, quem prædestinat, dirigere in finem vitæ æternæ. Atqui hoc propositum est prorsus immutabile. Deus enim absolute & extra omnem hypothese[m] potest hominem in salutem æternam per media efficacia dirigere velle vel non velle pro arbitrio: at ex hypothese quod simul vult, non potest non velle ab æterno & pro æterno propter summam divinæ voluntatis immobilitatem. Hinc illud Apostoli Rom. c. 11. *Sine penitentia sunt dona & vocatio Dei.* Ergo mutari non potest prædestinatio divina.

Obj. 1. Si propositum illud, quod includit prædestinatio, sit immutabile, cum etiam infirmitas sit, prædestinatus necessariò salvatur. R. hoc non sequi. Cum enim hoc propositum sit præcisè voluntas hominem per hæc specie & numero media dirigendi in salutem æternam, ex ejus immutabilitate & infirmitate sequitur tantum, quod homo, prædestinatus in æternitate, necessariò accipiat in tempore hæc specie & numero media, quibuscum quantum est ex parte Dei certè & infallibiliter, & quantum est ex parte sua contingenter & defectibiliter, salutem suam operaturus est.

Obj. 2. Prædestinatio & liber vitæ sunt unum & idem. Atqui liber vitæ non est immutabilis: nam qui in eo conscripti sunt, possunt ex eo deleri; imò & qui ex eo deleri sunt, possunt in eo denuò conscribi. Ergo, &c. Ad solutionem, *nota.* Liber vitæ potest, 1. sumi strictè, ut re ipsa sumitur à S. Thoma hic qu. 24. art. 1. & sic sumptus, ut dicit S. Doctor in O. est prædestinatorum conscriptio, quæ conscriptio, ut ibid. dicitur, non est aliud, quam ipsa Dei notitia, qua firmiter retinet se aliquos prædestinasse ad vitam æternam. Hinc liber vitæ strictè sumptus, ratione quidem distinguitur à prædestinatione, sed cum ea convertitur, quia omnes & solos prædestinatos complectitur. 2. Liber vitæ sumi potest minùs strictè, & ut sumitur à S. Thoma q. cit. a. 3. in O. nempe pro conscriptione omnium aliquo modo ordinatorum ad vitam æternam, & hæc conscriptio non est aliud, quam notitia Dei, qua novit omnes, qui aliquo modo ad vitam æternam ordinantur. Liber vitæ hoc se-

cundo modo sumptus, non convertitur cum prædestinatione, quia latius patet: in eo enim conscripti sunt non solum prædestinati omnes, sed etiam omnes reprobi, qui aliquando justificantur, quamvis acceptam justitiam postea per peccatum mortale amittant, & ante recuperatam moriantur. Nam sicut prædestinati ordinantur ad vitam æternam ex prædestinatione divina, vel si vis, ex gratia in qua usque in finem perseveraturi sunt; ita & reprobi aliquando justificati, ad vitam æternam ordinantur ex gratia, in qua aliquandiu perseverant, & vi cujus jus habent ad gloriam, quandiu in ea perseverant. Hoc tamen, juxta S. Thomam loco proximè citato, discrimen est inter prædestinatos & reprobos, quod prædestinati conscripti sunt simpliciter, quia præsciuntur à Deo ut habituri gloriam in se ipsa: reprobi verò aliquando justificati, conscripti sunt secundum quid tantum, quia præsciuntur à Deo ut habituri gloriam, non in se ipsa, sed in sua causa tantum, nempe in gratia sanctificante. Unde reprobi in libro vitæ hoc secundo modo sumptus scripti sunt tantum ut habituri causam & semen gloriæ; cum prædestinati in eo scripti sint ut habituri ipsam gloriam. His præsuppositis,

Resp. Librum vitæ vel primo vel secundo modo sumi in objectione. Si primo modo sumitur, & ut cum prædestinatione convertitur, nemo ex eo deleri potest, aut in eo de novo scribi, juxta illud Apostoli 2. ad Timoth. cap. 2. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, cognovit Dominus, qui sunt ejus.* Et ratio est, quia nullus de prædestinato fieri potest non prædestinatus, & vicissim nullus de non prædestinato fieri prædestinatus. Nam quos vult Deus per media efficacia in vitam æternam dirigere, ab æterno & pro æterno vult immutabiliter; & vicissim quos non vult per talia media in vitam æternam dirigere, immutabiliter non vult ab æterno & pro æterno. Igitur qui in libro vitæ conscripti sunt ut prædestinati ad vitam æternam, omnes ab æterno & pro æterno immutabiliter conscripti sunt. Si verò liber vitæ secundo modo sumitur, & ut latius patet, quam prædestinatione, nullus ex iis, qui in eo simpliciter conscripti sunt, deleri potest ex illo, quia nullus prædestinatus fieri potest non prædestinatus. Item nullus in illo de novo scribi potest inter eos, qui conscripti sunt simpliciter, quia nullus de non prædestinato fieri potest prædestinatus. At qui in illo conscripti sunt secundum quid tantum, ex illo deleri possunt, & delentur, quia gratiam amittere possunt, & amittunt. Item possunt in illo de novo scribi, & quandoque ad tempus scribuntur, quia gratiam amissam recuperare possunt, & quandoque ad tempus recuperant. Quod totum fit absque ulla mutatione ex parte Dei: quidquid enim Deus novit, ab æterno & pro æterno novit immutabiliter. Igitur reprobi delentur ex libro vitæ, aut in eo denuò scribuntur, quatenus in tempore, postquam justificati fuerunt, per aliquod mortale peccatum justitiam amittunt, & post justitiam sic amissam, iterum Deo reconciliantur. Unde fit ut Deus ab æterno & pro æterno, sed planè invariabiliter & incommutabiliter, præsciat illos fore justos pro tali tempore, injustos pro sequenti, & pro ulteriore justificandos, in perpetuum denique justitiam amitturos, sicque sint scripti in libro vitæ pro tali tempore, deleri pro sequenti, pro ulteriore denuò scripti, postremò ex illo in æternum erasi, tota mutatione ex parte illorum se tenente; cum ipsi soli, & non Deus, ab uno statu ad alium statum transeant; præscientia verò divina, sicut & voluntas, ab æterno & pro æterno eadem invariabiliter permaneat. Vide S. Thomam q. cit. a. 3.

Quæres, utrum numerus prædestinatorum sit certus Deo? R. 1. Deo certum esse formaliter numerum prædestinatorum. Nam numerum prædestinatorum sic esse certum Deo, nihil aliud est, quam Deum determinatè scire illum esse tantum. Atqui Deus hoc scit, quia cum numerus ille nec augeri, nec minui queat, revera determinatè tantus est. R. 2. numerum prædestinatorum esse etiam materialiter certum Deo. Nam numerum illum sic esse Deo certum, nihil aliud est, quam omnia

omnia

nia individua, ex quibus constabit, distinctè à Deo cognosci; sive nihil aliud est, quam numerum illum, non abstractè & confusè, sed in omnibus individuis, ex quibus tanquam partibus constabit, distinctè cognosci. Atqui numerus ille sic à Deo cognoscitur: cum omnes ejus partes, seu omnia individua, ex quibus constare debet, distinctè fuerint à Deo ab æterno & pro æterno immutabiliter prædeterminata: Deus enim omnes, quotquot sunt aut erunt de numero prædestinatorum, non confusè, sed distinctè & in particulari ab æterno & pro æterno prædestinavit, & immutabiliter prædestinavit.

Quæres, quantus sit numerus prædestinatorum? R. de solis hominibus cum S. Thoma hic q. 23. a. 7. in Q. De numero omnium prædestinatorum hominum quis sit, dicunt quidam, quod tot ex hominibus salvabuntur, quot Angeli ceciderunt. Quidam vero, quod tot salvabuntur, quot Angeli remanserunt. Quidam vero, quod tot ex hominibus salvabuntur, quot Angeli ceciderunt, & insuper tot quot fuerunt Angeli creati. Sed melius dicitur, quod soli Deo est cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus. Dici etiam potest cum Augustino lib. 22. de Civ. c. 1. Tantum populum per gratiam suam colligit (Deus) ut inde suppleat & instauret partem quæ lapsa est Angelorum, ac sic illa dilecta & superna civitas non frustretur suorum numero civium, quin etiam fortassis & uberius letetur.

ARTICULUS III.

Utrum divina Prædestinationis detur ratio aliqua ex parte nostræ.

NOta. Prædestinationis divinæ dari rationem ex parte Dei certum est; Deus enim alios prædestinavit, alios verò negativè reprobavit, ad ostendendam misericordiam & justitiam suam. Item prædestinationis divinæ dari rationem ex parte Christi, indubitarum est, ex Apostolo, docente, Ephes. c. 1. nos electos esse in Christo, hoc est, propter merita Christi absolutè prævisa, & nos esse prædestinatos in Christum, hoc est, in gloriam Christi. Unde secundum Apostolum prædestinationis nostræ causa meritoria sunt Christi merita; finalis verò gloria ipsius. Imò dari ex parte Dei rationem, cur hi prædestinentur, & illi negativè reprobenentur, docet S. Augustinus lib. 1. ad Simp. q. 2. ubi de Deo dicit: *Eorum non misereatur, quibus gratiam non esse præbendam, equitate occultissima, & ab humanis sensibus remotissima judicat.* Hæc autem ratio, quæ, quandiu hanc mortalem vitam vivimus, nos lætet, patebit nobis, cum facie ad faciem videbimus eum, qui omnia in sapientia scit. Merito igitur hic quærimus tantum, utrum prædestinationis divinæ detur ex parte prædestinati aliqua ratio, hoc est, utrum Deus homines, quos prædestinavit ad vitam æternam, prædestinavit ex mero beneplacito, an ex prævisione alicujus boni operis, aut boni usus liberi arbitrii, sive tanquam meriti de condigno, sive tanquam meriti de congruo, sive tanquam meriti conditionis sine qua non. Ad hanc autem quæstionem respondemus, prædestinationis divinæ nullam planè rationem assignari posse ex parte prædestinatorum. Hanc assertionem, quam esse de fide contendimus, sequentibus Paragraphis ostendemus.

S. I.

Prædestinationis divinæ nullam dari rationem ex parte prædestinati, probatur ex Scriptura.

1. Apostolus Ephes. c. 1. sic loquitur: *Elegit nos in ipso (Christo) ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus.* Non dicit Apostolus, *Elegit nos in nobis, seu propter merita nostra;* sed in ipso, seu propter merita Christi. Non dicit, *Elegit nos, quia eramus, aut futuri eramus sancti;* sed ut essemus sancti, non solum habitualiter per gratiam sanctificantem, sed etiam sanctitate actuali per bonum liberi arbitrii, gratia adjuti, utrum. Pergit Apostolus: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum*

Christum in ipsum secundum propositum voluntatis sue in laudem gloriæ gratia sue, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo... in quo etiam nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue. Decente igitur Apostolo Deus prædestinavit nos per merita Christi, ad procurandam ejus gloriam, prædestinavit, inquam, non propter bonum aliquem nostri arbitrii usum prævisum, sed secundum propositum voluntatis sue; hoc est, ex mero suo beneplacito ad commendandam gratiam suam, hoc est, gratuitam suam erga nos benevolentiam, in qua nos gratificavit in dilecto filio suo, hoc est, qua nos gratuito profectus est propter dilectum filium suum, in quo nos sorte vocati sumus, hoc est, propter quem nos planè sortiti, quantum est ex parte nostra, vocati sumus ea vocatione, quæ electorum propria est; & vocati sumus, quia prædestinati eramus, non propter merita nostra, sed ex mero beneplacito illius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue, & nullis nostris bonis meritis provocatus præparavit nobis auxilia congrua, ut simus in laudem gloriæ ejus, hoc est, ut propter tantum, & tam gratuitum beneficium, ejus potentia, sapientia & bonitas extollantur ab hominibus & Angelis.

2. Idem Apostolus Rom. c. 9. ex hominibus alios prædestinatos, alios verò negativè reprobatos esse ante absolutam prævisionem cujuscumque meriti vel demeriti personalis, probat exemplo Jacob & Esau. *Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est: Quia major serviet minori: sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Tum in hac agendi ratione nihil iniquitatis esse, ostendit ex eo, quod Deus totum genus humanum in Adamo vitiatum potuerit absque ullius injuria rejicere, & in perditione derelinquere, nullusque proinde ab hac massa, per Adami peccatum corrupta, per prædestinationem liberari, nisi ex pura misericordia potuerit. Unde cum Deo liberrimum sit, ex pluribus in eadem damnatione versantibus, quorum vult misereri, & quorum non vult non misereri, ipsi liberrimum est ex hominibus aliorum misereri, eos prædestinando, aliorum non misereri, eos negativè reprobando, absque eo quod idcirco ullam injustitiæ notam possit incurrere. *Quid ergo dicemus?* inquit Apostolus. *Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moyses enim dicit: Miserebor, cuius misereor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor.* Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Ergo cuius vult miserebor, & quem vult indurat... Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: *Quid me fecisti sic? an non habet potestatem figulus lutum ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Vides Apostolum totum negotium prædestinationis & negativæ reprobationis hominum manifestè attribuentem soli beneplacito Dei, pro suo jure, quorum vult, miserentis, & quorum non vult, non miserentis; & ita pro suo jure aliquos, quia vult, liberantis; reliquos, quia non vult, non liberantis.

3. Idem Apostolus, postquam retulit hæc Dei ad Eliam verba: *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal,* sic prosequitur: *Sic ergo & in hoc tempore reliquia secundum electionem gratia salva facte sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* Sicut tempore Eliæ, inquit Apostolus, pauci illi Israelitæ, qui non curvaverunt genua ante Baal, fideles permanserunt, non quia relictæ fuerunt Deo, sed quia Deus ipse eos sibi reliquit, hoc est, quia Deus eos gratuito elegerat, eosque secundum suam illam gratiam electionem vocaverat, quomodo illis aptum erat, ut fideles essent, & in fidelitate perseverarent: ita nunc pauci Judæi, qui credentes in Christum salvantur, salvantur secundum electionem gratiæ, hoc est, quia gratuito electi sunt, cæteris negativè rejectis, & ideo in voluntaria obsecratione derelictis; proindeque salvantur secundum electionem factam independentem ab omni

ope-